

§. 15.

*Salix arbuscula* major, seu *orgyalis* (Wahlenb. Fl. L. n:o 476) in ipso loco (ad lacum Virihjaur) a me quoque observata, nullo modo ab ea differre videtur, quæ per universam Lapponiam vulgatissima 1), ad ripas fluminum omnium Lapponiarum, et prorsus eadem per totam Vestrobothniam, Angermanniam, superiorem Jemtlandiæ usque, densissimas constituit silvas.

Hanc ad *S. majalem* semper detuli, ejusque nomine Botanicis Svecicis communicavi: cujus etiam meritiss. Koch. (in commentatione Sal. Eur.) particeps factus esse videtur, isque eam ad *Sal. arbusculam* citavit, cum qua etiam paullatim sed aperte confluit. Ab hac *S. majalis* vera, s. (germinibus glabris) in Vestrobothnia vulgaris, nihilo, nisi germinibus glabris differre videtur.

*Salix* autem *phylicifolia*, (Wahlenb. Fl. L. n:o 482), cujus forma magis urbana seu campestris (Wahlenb. Fl. Sv. β.) in Svecia australiori occurrit, prorsus eadem est,

1) Arbor tenuis biorgyalis et supra, germinibus pubescentibus; foliis nitidissimis semper glabris et subtus eximie albo glaucescentibus. De hac in Fl. L. altum silentium? Suspicio tamen eam sub *S. majali* intellectam; quamquam *S. majalem* proprie sic dictam (germ. glabris) nullibi Lapponiæ vidi.